




Africa
Price \$12.50


374





Folio
PJ9087
.D57
copy 1

G. E. STECHERT & CO.
ALFRED BARNES
NEW YORK









CHR. FR. AUGUSTI DILLMANN

PHILOSOPHIAE ET THEOLOGIAE DOCTORIS HUIUSQUE IN ACADEMIA LUDOVICIANA GISSENSI PROFESSORIS PUBL. ORD.

LEXICON

LINGVAE AETHIOPICAE

CUM INDICE LATINO.

ADIECTUM EST VOCABULARIUM TIGRE DIALECTI SEPTENTRIONALIS COMPILATUM A WERNER MUNZINGER.

LIPSIAE,
T. O. WEIGEL.

MDCCLXV.

Augustus Dillmann

lecturis salutem dicit.

Linguae Aethiopicae lexicon novum emissuri sumus. De causis quibus ad suscipiendum hoc opus movebamur nihil opus est multis praefari. Jobi Ludolfi lexicon, suo saeculo praeclarissimum, quod plus centum et quinquaginta annos in his literarum finibus summum merito obtinebat imperium, hac nostra aetate variis philologorum desiderii non amplius sufficere inter omnes constat. Subsidiis enim, quorum vir eximus in illo componendo usum fecit quamquam diligentissimum, lustris novissimis magna adjecta est copia, praesertim librorum Aethiopicorum ex Abyssinia transportatorum, unde materiam longe uberiorem exhaurire et multas res quae Ludolfo dubiae et incognitae erant lucidius explanare licet. Deinde scientia linguarum qua ille inter aequales eminebat, ut omnium ita Semiticarum, nostro saeculo consociatis philologorum studiis penitus reculta et eo usque promotam est, ut etiam Geez linguae nova inde affundantur lumina et, cum in lexicis parte etymologica tum in vocabulorum significationibus derivandis et disponendis, multae operi Ludolfiano emendationes sint adhibendae. Praeterea Ludolfus nimis brevis erat in allegandis testimoniis et locis, unde singulae voces earumque significationes et formae probarentur; at sola unius viri licet fide dignissimi auctoritate niti ut ab aequalium indole prorsus alienum ita subtilioribus linguarum literarumque studiis parum utile videtur. Accedit quod, exhausta exemplarium a Ludolfo typis impressorum penu, ejus liber tam raro veni subicitur, ut ab emturis vix comparari possit. Quibus de causis jam septem abhinc annis, postquam grammaticam Aethiopicam edidimus, lexicon novum elaborare nobis propositum erat: opus propositum ut sine mora aggredere, is qui hoc volumen venum dat ipse nos monuit.

De ratione quam in describendis linguae Aethiopicae copiis sequebamur in Prolegomenis fusius disseruimus. Quid quantumve in hac descriptione profecerimus, non nostrum est dijudicare. Judicent alii, sed ne injuste judicent, pauca quaedam praemonenda videntur. Librorum Aethiopice conscriptorum qui ad nostros dies conservati sunt numerus non infinitus est neque tantus, ut omnes perlustrare unius hominis vires excedat. Nec dubium est quin iis omnibus excerptis thesaurus linguae magis completus effici potuerit. Sed nos quidem ne hanc gloriam peteremus et ultra annos quosdam praestitutos laborem nostrum extenderemus, ipso pacto cum bibliopola facto vetiti eramus. Neque temere hanc pactionem inivimus: nam verendum erat, ne opus permultis exoptatum et incremento studiorum reviscentium necessarium ultra modum procrastinaretur vel, si quid nobis accidisset, plane in irritum caderet. Nostrae sunt memoriae qui, postquam omnem eamque longam vitam in colligenda materia desudarunt, fato abrepti sunt, priusquam thesaurus summa opera et diligentia conquisitos publici juris facerent. Itaque satius censebamus, ut intra arctiores opus nostrum contineremus fines. At quantum intra temporis spatium definitum peragi poterat, peregissemus nobis videtur. Librorum Aethiopicorum antiquissimos eosque gravissimos omnes in rem nostram convertimus; radices ducentas vel trecentas nec non plus duo millia vocabulorum (stirpium tam verbalium quam nominalium) Ludolfo incognita et multa nomina peregrina lexico adjecta habemus, nec dubitamus quin vocabula (vere Aethiopica nec aliunde adoptata) quae non recensuimus longe pauciora in libris qui apud Abyssinos circumferuntur supersint. Ea nostro thesauro facile posthac adjiciamus vel adjiciant viri harum literarum periti qui in posterum sunt futuri. Eorum veniam rogamus. Eorundem et aequalium veniam magis etiam rogamus, si in etymis investigandis ab eo qui animo observabatur sine longius nos abesse deprehenderit. Quamquam enim vocabulorum originem permultorum a nobis recte investigatam et expositam

esse persuasum habemus, tamen multa sunt relicta dubia nec nisi conjecturis incertis tentata, nonnulla plane obscura. Non omnia omnes perspiciunt: alii quoque in hac arena periclitentur! E communi scrutantium opera veritas victrix prodibit.

In rebus ad grammaticam pertinentibus ad nostrum librum anno Domini MDCCCLVII editum provocavimus. At non omnia quae in illo proposita vel praecepta sunt etiamnum nos tueri hic annotare liceat. Grammaticam enim cum conscriberemus, multis in rebus non nisi Ludolfiani lexicī auctoritate nitēbamur; jam vero postquam totam vocabulorum formarumque copiam ipsi perscrutati descripsimus, singula cum in parte etymologica tum aliās mutanda, emendanda, addenda habemus.

Toto opere jam conscripto ejusque parte plurima typis excusa Werner Munzinger, investigator gentium Abyssinarum peritissimus indefessus, tum temporis in patriam Bernae urbem reversus, postquam lexicī nostri partem primo editam inspexit, Vocabularium dialecti Tigrensis septentrionalis ab ipso collectum ultro nobis obtulit ad calcem nostri libri edendum. Quam conditionem, cum in hac dialecto multas antiquae Tigrensis vel Geez linguae reliquias contineri et linguam mortuam dialecto vivae quodammodo suppleri sumeremus, nos quidem, consentiente bibliopola, libenter accepimus, nec aliud quidquam pacti sumus, nisi ut singulorum vocabulorum pronuntiatio accurate notanda esset. Ejusdem dialecti opusculum grammaticum ut posthac ederet, auctorem haud frustra monuimus. Ejus igitur vocabularium tale quale ipsius manu scriptum recepimus typis excubendum curavimus. Pro sententiis in praefatione propositis ipse stabit auctor: de aliis quibusdam, maxime quae ad orthographiam pertinent, dubitavimus quidem, sed quominus dubitationes auctori communicarem, ipsius nova in Africam peregrinatio prohibuit. Postquam autem de Munzingeri vocabulario typis excudendo constitutum erat, etiam Antoine d'Abbadie, Francogallus nobilissimus et amicissimus, qua est liberalitate, suam ejusdem dialecti vocabulorum collectionem nobis permisit. Inde ea quae ad complectendam Munzingeri collectionem idonea videbantur excerpimus et, quamvis alter ab altero in scribendi et pronuntiandi ratione dissentiat, illius libello subjunximus. Etiam meridionalis dialecti Tigrensis vocabularium possidet d'Abbadie, quod ut publici juris faciat monemus et rogamus.

De externa specie nostri libri in officina F. A. Brockhaus exscripti pauca habemus monenda. Typorum formae Aethiopicorum et Amharicorum in hoc opere adhibitae, quamquam iis qui libros Aethiopicos manuscriptos nondum legerunt insuetae, tamen optimae sunt et ad leges calligraphiae Abyssinicas maxime adaptatae quae in Germania inveniuntur. Totumque opus specimen artis typographicae perfectum et officina celeberrima dignum esse nemo infitiabitur qui, quot et quam variae typorum formae in eo adhibendae fuerint, secum perpenderit. Soli hujus officinae characteres Syriaci quorum in hoc libro usus factus est inferioris sunt notae. Qui quod melioribus commutari non poterant, cum lecturis nos ipsi vehementer dolemus.

In corrigendis schedulis per quadriennium multam consumsimus operam, in iisdemque Dr. H. Lotze, Lipsiensem, nobiscum diligentissime laborasse grato animo praedicamus. Errata typhetarum haud ita multa, quae utrumque fugerunt correctorem, sub finem operis emendata invenient lectores. Alia quaedam sine dubio etiamnum in opere latent, praesertim in numeris quorum immensa multitudo ibi continetur: ea speramus fore minus gravia et ea quae a lecturis ipsis facile emendari possint.

Publicae autem laudes et gratiae debentur viro humanissimo, literarum adjutori optime merito, T. O. Weigel, bibliopolae Lipsiensi, qui hoc opus, minus lucrativum quam sumptuosum, neque in aequalium tantum sed etiam in posterorum usum conscriptum, suis impensis vulgare tantum abest ut dubitaverit, ut splendidissime typis imprimendum curaverit. Rarescunt his temporibus ii qui in libris redimendis et vulgandis non lucrum tantum faciendum, sed etiam literarum artiumque studia promovenda spectant.

Labores quos per septennium omnibus fere horis subsecivis Kiliī Holsatorum in hunc librum insumsimus enarrare et piget et dedecet. Sed Deo O. M. quo benignissime juvante opus inchoatum perficere potuimus et decet et delectat gratias agere humillimas. Ei sit gloria in aeternum!

Dabam Gissae Cattorum idibus Junii MDCCCLXIV.

Prolegomena.

1. *Describuntur libri e quibus materiam lexicī hausimus.*

Lexicon Ludolfiano locupletius et emendatius conscripturo neque ad thesauros quales Ṣiḥāḥ et Qāmūs sunt neque ad singulorum librorum Concordantias quas dicunt aditus patet: perlustranda et excerpta sunt monumenta scriptorum Aethiopicorum ipsa, quorum pauca typis excusa facile comparari possunt, plurima non nisi manuscripta et in variis Europae bibliothecis dispersa exstant. Quae omnia cum ob temporis perficiendo operi praefiniti angustias conquirere non liceret, eorum potissima saltem et gravissima nobis perscrutanda proposuimus.

1. Et antiquissima quidem quae habentur omnia, cum in iis permulta reperiantur verba quae posthac obsoleta recenti loquendi usui cesserunt, accurate pervestigavimus. a) Inter ea primum locum obtinent *Biblia* Aethiopica, quae omnium literarum Abyssinarum fundamentum sunt et norma, ad quam reliqui scriptores suum dicendi scribendique genus conformaverunt. Quorum ut etiam in lexico componendo potissima haberetur ratio, res ipsa postulabat. Sed cum Bibliorum versionem non unam tantum habeant Aethiopes sed duplicem et triplicem singulorumque librorum multiplicem, variis temporibus et varia auctoritate confectam, id quoque spectandum erat, ut varias versiones distingueremus earumque antiquissimam, quantum possemus, dispiceremus. Ubi cumque autem Bibliorum versiones e libris Mss. eruendae erant, unius codicis fides haud sufficere poterat, sed plura conferenda erant exemplaria. Hoc quomodo in singulis Bibliorum partes valeat, brevi dicendum est. Novi Testamenti versionibus perlustrandis non nisi librorum typis exscriptorum usum fecimus. Hujus enim Testamenti duae sunt editiones. Altera a. MDXLVIII et IX Romae cura Tesfa-Zion Aethiops facta, deinceps in Polyglottis Londinensibus repetita, jam Ludolfo lecta est; ea, si librum Actuum Apostolorum exceperis (de quo vid. Lud. hist. Ae. III, 4, 7 et Comm. p. 297), versionem antiquam exhibet, sed erratis typographorum scatet. Altera, a. MDCCCXXX impensis societatis ad Biblia sacra in Britannia et apud exterarum gentes evulgandae institutae Londini a Th. P. Platt confecta, versionem aliam sive recentioris sive et variis versionibus recentioribus mixtam continet nec ipsa mendis typographicis ita ut debebat libera est. Editio castigata et critica in qua variae versionis recensiones recte distinguantur adhuc desideratur, nec

dubitamus, quin nova omnium earum quae in libris Mss. circumferuntur Novi Testamenti versionum perscrutatione non tantum multae lectiones variantes sed etiam lexico singulae accessiones redundaturae sint. Sed huic investigationi instituendae cum omnia nobis deessent auxilia, libros typis editos diligenter perscrutari satis habebamus. Inter Veteris autem Testamenti libros Psalmi cum Canticis a J. Ludolfo a. MDCCI Francofurti, Octateuchus et libri Regum I et II a nobis ipsis a. MDCCCLIII — V et MDCCCLXI cum lectionibus variantibus ita editi sunt, ut eos excerptere sufficeret. In caeteris libris ad codices Mss. recurrendum erat, quorum inter se conferendos habebamus (maxime Oxonienses, Londinenses, Francofurtenses, Abbadianos) Jobi octo; III et IV Regum et Danielis septem; Jesaiae, Dodecapropheton, Proverbiorum, Ecclesiastae, Sapientiae sex; Paralipomenon, I et II Ezrae, Esther quatuor; Jeremiae cum Threnis, Hezekielis, Siracidae tres; Baruch, Epistolae Jer., Tobith, Judith duos. Libri Maccabaeorum Aethiopicis aut numquam versi aut deperditi sunt: eorum loco supplendo librum ficticium sub titulo Maccabaeorum circumferunt (vid. infra). Veteri Testamento adnumerantur libri quidam pseudepigraphi, tam editi quam inediti. Editi sunt, a nobis ipsis: 1) Kufālē vel liber Jubilaeorum, e duobus codicibus, Kil. et Lond. MDCCCLIX, 2) Henoch, e quinque codicibus, Lips. MDCCCLI (huic libro tres alios codices nuper perlatos comparavimus); a R. Laurence: 3) Ascensio Isaiae, ex uno codice, Oxon. MDCCCXIX, 4) Ezrae Apocalypsis, ex uno codice, Oxon. MDCCCXX, cui editioni cum parum fide digna sit, sex alios libros Mss. contulimus; ineditus est 5) libellus, quem Aethiopes scriptis Jeremiae adjungere solent, Christianae originis, ተረጎሞ ገሎት i. e. Paralipomena vel Reliquiae Baruch inscriptus; ejus habemus tria apographa. Inter libros Novi Testamenti apocryphos recensendus est Hermiae pastor, a. MDCCCLX Lipsiae ab Antonio d'Abbadie editus. Horum scriptorum biblicorum partem majorem Ludolfus nunquam vidit: e libris Judicum Regum Jesaiae excerpta quaedam habuit a Gregorio Aeth. communicata; praeter Novum Testamentum, Pentateuchum cum Josua et Ruth, Psalmos cum Canticis et quosdam prophetarum minorum ipse legit nullos. — b) Libris biblicis alii quidam accedunt qui ex antiquioribus literarum Aethiopicarum temporibus servati

supersunt et quorum diligentissimum fecimus usum. Eorum potissimum est liber quem **ፆርሐስ**: i. e. *Cyrrillum* vocant. Hoc volumine continentur scripta collectanea cum Cyrilli Alexandrini tum aliorum Patrum, ad theologiam dogmaticam et ad Acta concilii Ephesini pertinentia, e sermone Graeco versa (vid. ejus descriptionem in *Zeitschrift für die Kunde des Morgenlandes* 1844. *Bd.* 5 *ፎ.* 187 ff., et in Catalogo Codicum Aethiopicorum qui in Museo Britann. asservantur MDCCCXLVII p. 12 seq.). Monumentum est antiquioris linguae eximium; multa vocabula, in eo obvia, cum Abyssinis inferioris aetatis obscura essent, apographis ejus glossaria Aethiopico-Amharica annexa esse solent. Usi sumus codice Tubingensi, cujus folia 1—130 in allegandis locis singulis citavimus; ei nostra apographa comparavimus, Londini e codicibus, qui in Museo Britannico et in Bibliotheca Societatis Indiae Orientalis asservantur, quondam facta. Praeterea huc referendus est libellus, quem *Regulam Pachomii* vocamus (**ሥርዐት ለዘሐዘዙ መልአክ ሕግሊአብሔር ለአባ ጳውሎስ ለባሔር ለዘሐዘዙ ጠርቤንስ ለደወለ ተባይስ**); continetur codice Abbadiano CLXXIV, et fragmentum ejus exstat in codice Mus. Brit. XVIII f. 76. Eum tempore satis antiquo in Gees translatum esse cum regulae ipsae tum orationis genus pressae et brevis et vocabula quaedam huic libro propria luulenter docent. — Inscriptiones autem Axumiticae, ab E. Rüppell vulgatas, licet monumentum sint antiquissimum, tamen in nostro opere praetermittendas putavimus. In rebus enim ad linguam pertinentibus vix quidquam certi inde deprimi poterit, priusquam emendatius editae et rectius lectae et intellectae fuerint (vid. *Zeitschrift für die Kunde des Morgenlandes* 1853. *Bd.* 7 *ፎ.* 355—364). — Horum igitur quos enarravimus librorum antiquiorum voces et phrases omnes in libro nostro collectas et quantum fieri poterat explanatas invenient lectores studiosi.

2. *Ceteri* libri quamvis omnes aliquid ad augendas lexicis copias conferant, tamen nec ejusdem sunt antiquitatis nec momenti. Quae ob rem singula singulorum apographa perlustrare nobis satis esse videbatur; accedebat, quod eorum plura exemplaria assequi non potuimus, nisi novam per varias Europae bibliothecas peregrinationem, ipso officio publico quo fungebamur interdictam, instituerimus. In deligendis autem iis quos in rem nostram converteremus libris duabus potissimum rationibus ducti sumus. Earum altera est, quod eos libros qui vel auctoritate quadam publica valebant vel Abyssinis ipsis in deliciis habebantur et multum lectitabantur nequaquam negligendos existinavimus. Altera refertur ad varietatem materiae quae in libris tractatur. Nam cum varia literarum genera variam postulent dictionem et propria verba quae dicuntur technica, id nobis spectandum erat, ut uniuscujusque generis unum certe librum tamquam exemplum perlegeremus et excerperemus. Librorum autem secundum rationes modo dictas delectorum alii ab Aethiopicis ipsis compositi, alii ex aliis linguis, maxime Arabica, translati sunt; alii lingua puriores et eleganter scripti; alii ad Arabicum vel Amharicum sermonem vergentes, alii antiquiores, alii inferioris et infimae aetatis. a) *Libri ecclesiastica auctoritate* magis minusve insignes quos excerpsimus sunt Clemens, Synodus, Didascalia, Kidān, Faus Manfasāwi, Liturgiae, Genzat, Qedr, Preces Matutinae. *Clementis* usi sumus exemplari Tubingensi chartaceo; de ejus argumento videre licet quae exposuimus in *Handwritten von der G. M. Universität und der Königl. Gesellschaft der Wissenschaften zu Göt-*

ttingen 1853 Nr. 17—19. *Synodi* librum jam Ludolfus novit et in suo lexico haud ita raro allegavit, nec non particulas quasdam in suo Comment. ad Hist. p. 301 seq. edidit; nos totum perlustravimus qualis continetur codice chartaceo Tubingensi. Qui cum negligentissime scriptus sit, dolemus quod alium assequi nequivimus. Est 398 foliorum; in eo insunt 1) Constitutiones Apostolorum f. 4—72; 2) Canones Apostolorum f. 72—89; 3) Statuta Apostolorum f. 89—102; 4) Abtelisat i. e. Tituli f. 102—126; 5) Constitutionum recensio altera f. 126—143; 6) tertia f. 143—160; 7) Canonum Ap. recensio altera f. 160—171; 8) Abtelisat recensio alterius f. 171. 178. 198—215; 9) Canones concilii Ancyranum f. 215. 216. 179—189; 10) Canones Neocaesarienses f. 189—194. 11) Gangresis f. 194—197. 217^b; 12) Sardicensis f. 217—224; 13) Antiocheni f. 224—234; 14) Laedicensis f. 234—246; 15) Niceni f. 246—254; 16) eorumdem recensio altera f. 254—280; 17) Expositio fidei Nicenae f. 281—286; 18) Synodus Clementis f. 286—293; 19) Expositio decalogi f. 293—309; 20) varii alii tractatus ad ethicam et dogmaticam pertinentes f. 309—398. Caeterum varia Synodi exemplaria multum inter se differunt, et in M. M. f. 344 Isaac quidem Tigrensis incusatur, quod Synodum consulo adulteraverit. — E codice Stuttgartiensi membranaceo excerptimus 1) *Kidān* i. e. **መጽሐፈ ኪዳን ዘሕግሊእነ ኢየሱስ ክርስቶስ**: seu Testamentum Domini nostri Jesu Christi f. 3—30, librum subditiolum qui in Haimānōta Abau et in M. M. allegatur, in eo de variis rebus ad jus ecclesiasticum, liturgiam et eschatologiam pertinentibus tractatur; 2) *Faus Manfasāwi* seu Medicinam Spiritualem (i. e. Poenitentiale) f. 119—173, de quo vid. Catal. Cod. Aeth. Bibl. Bodl. p. 30; 3) *Didascalium* Apostolorum f. 43—116. Didascaliae partem supra dimidiam Th. P. Platt typis edidit: *The Ethiopic Didascalia with an English translation*, Lond. 1834. Quam editionem et ipsam consulimus. — *Liturgiarum* seu Orationum eucharisticarum quaedam (sc. 1) Canon generalis, 2) Liturgia Domini nostri, 3) Dominae nostrae Mariae) in N. T. Aethiopico, Romae edito, t. I f. 158—176, una (sc. Liturgia Domini nostri) in Ludolfi Comm. ad Hist. p. 341 seq. typis excusae exstant; aliae (sc. Joannis Ev., 318 Orthodoxorum, Epiphaniae, Jacobi Sarugensis, Joannis Chrysostomi, Apostolorum, Gregorii, Dioscuri) Mss. in codice Anglico jam a Ludolfo lectae et citatae sunt. Easdem nos quoque denuo excerptimus e nostro apographo codicis Bodl. XVII, de quo vid. Catal. Cod. Aeth. Bibl. Bodl. Ox. p. 32 et 33. — Librum *Genzat* (**መጽሐፈ ግንዛት**) i. e. rituale in exsequiis celebrandas perlegimus in codice Tubingensi membranaceo, 162 foliorum, Fasilidae regis aetate scripto; recensioem exhibet permultis foedisque superstitionis additamentis depravatam. — Codex quem sub titulo *Kedr* citavimus, Tubingensis, chartaceus, 90 foliorum; plures exhibet libellos, sc. 1) f. 1—39 **መጽሐፈ ቁድር**: (de quo nomine vid. lexicon c. 465) de ritibus qui in repurgandis lapsis adhibendi sunt; in eo etiam **ጸሎተ ሕግዛትነ ግርግም**: **ደንግል ዘጸሎተ ባሕር ለወሰተ ሀገረ ባርቶስ**; et alia superstitionosa hujus generis (de quibus vid. Lud. Comm. ad Hist. p. 349 et *Zeitschrift für die Kunde des Morgenlandes* 1844. *Bd.* 5 *ፎ.* 183) continentur; 2) f. 39—45 **መጽሐፈ ባሕርይ** sive ritus et orationes ad unctionem aegrotorum (**ሰመይና ለመጽሐፈ ባሕርይ ለሰመ፡ ቃለ መለኮት ይአተ**); 3) f. 45—86 fragmenta e libro poenitentiae, Faus Manfasāwi dicto. — *Preces*

Matutinas nominavimus libellum, qui in Cod. Mus. Brit. XX n. 1 et XXI n. 1, a continetur; Aethiopice inscriptus est **ከ.ጳጵ.ገገ** **ግዕ**, et partes ejus etiam in Kidān libro supra laudato leguntur; perpaucā ex eo sunsimus. — De Deguā et Mavās'et infra tractabitur.

b) E *libris exegeticis* delegimus *Chrysostomum* i. e. Joannis Chrysostomi homilias in Pauli epistolam ad Hebraeos XXXIV, sub initium saeculi XVI^o ex Arabica versione (saeculo XI facta) in Geez translatae. Cum editione Graeca accuratius quam expectaveris consentiunt; dictio quamquam ad Arabismum vergit pure Aethiopica est nec nisi rarissime sermonem Amharicum redolet. Singulae homiliae divisae sunt in duas partes, sc. partem exegeticam (**ድርሳን**), et paraeneticam (**ተግዛድ**); illam siglo *Hom.*, hanc *Tags*. allegavimus. Usum fecimus codicis Tubingensis, membranacei, 150 foliorum, diligenter exarati.

c) De rebus *monasticis* tractatur in libro, qui *Philixius* inscriptus est, sub initium saeculi XIV in Geez translato, de quo vid. *Zeitschrift für den morgenländischen Oeſtellſchaft* 1847 *Bd.* 1 *©.* 24 ff. Adhibuimus codicem Stuttgartensem (quondam Tubingensem), et singulos locos secundum ordinem quaestionum 244 in hoc libro propositarum allegavimus. — De *Regula Pachomii* vid. supra col. VII.

d) E *libris* qui ad theologiam *dogmaticam* pertinent, praeter Cyrillum (de quo vid. supra col. VII), excerptimus librum magnae molis celeberrimum, qui *Haimānōta-Abau* inscriptus est (de quo videre licet *Catalogum Cod. Aeth. Mus. Brit.* p. 13—19), non totum sed singulas tantum ejus partes, quarum apographa habemus e codice quondam in Bibliotheca Societatis Indiae Orientalis Londini asservato. Duos libellos qui in eo exhibentur de rebus dogmaticis (sunt Fides Jacobi Baradaei et Athanasius de Trinitate) nec non *Mašhafa Tōmār* operi praefixum etiam sigillatim citavimus. Praeterea totum et diligenter perlegimus **መጽሐፈ ጾክሎር** i. e. *librum Mysterii* (M. M.), saeculo XV tempore Isaaci regis (ad secundum Chronicon Liq Atqu tempore Zar'a Jacob regis) in Abyssinia a Georgio quodam compositum, in quo 27 haereses fusius exponuntur et scite refutantur. Etiam strophas poëticas continet. Bene et eleganter conscriptus et optimis ecclesiae Aethiopicae monumentis adnumerandus est. De eo videre licet *Zeitschrift für die Kunde des Morgenlandes* 1844 *Bd.* 5 *©.* 194—196 et d'Abbadie *Catalogue* p. 54—59. Usi sumus codice Basileensi chartaceo, 372 foliorum.

e) Ad *philosophiam* pertinet **መጽሐፈ ፈላስፋ ጠባባን** seu liber *Falaska*, qui ex Arabico sermone translatus collectaneas sententias sapienter dictas (philosophorum et physicorum aliorumque virorum tam ethnicorum quam Judaeorum et Christianorum) exhibet; eum legimus in codice Tubingensi chartaceo, 84 foliorum.

f) *Juris civilis et canonici* institutiones continentur libro *Fetha Negast*, qui ineunte saeculo XIII ab Abu Isaac Ben Elasal in Aegypto Arabice compositus, saeculo XV in Geez translatus, novissimis temporibus a jurisconsultis Abyssinis varias retractationes et immutationes subivit (vid. *Catalogum Cod. Aeth. Bibl. Bodl.* p. 24—30; d'Abbadie *Catalogue* p. 184 seq.). Dictionis genere non mere Aethiopicus est, sed ad linguam infimae aetatis inclinat. Exemplar, quo usi sumus, Ruppelianum (vid. Ruppell *Reise* *Bd.* 2 p. 185—188) membranaceum, sub finem saeculi XVII exaratum, asservatur in Bibliotheca Francofurtensi.

g) Multas voces quae ad *mathematicam, astronomiam, chronologiam* pertinent excerptimus 1) ex *Abushaker* opere chronographico; saeculo XIII in Aegypto composito, posthac in Geez translato, cujus apographum habemus e codice Musei Britannici factum; de eo vid. *Catalogum Cod. Aeth. Mus. Brit.* p. 41—45; 2) et variis libellis et tractatibus de *Computo ecclesiae Aethiopicae*, qui variis libris Mss. (maxime codici Cyrilli, qui quondam in Bibliotheca Societatis Indiae Orient. Londini asservabatur) adjecti inveniuntur, quorumque quidam in Lud. Comm. Hist. p. 385 seq. et in Scaligeri opere de emendatione temporum editi sunt.

h) Nonnulla *artis medicinalis* vocabula hausimus e libello pusillo, 35 foliorum *Mašhafa Faus* dicto, in lingua aethiopico-amharica conscripto, qui quondam in Bibliotheca Societatis Ind. Orient. Londini asservabatur.

i) *Historica* sunt, praeter Abushakeriani operis partes quasdam, liber *Pseudojosephi* et Chronicon Axumiticum. Josephi Ben Gorion **ዘፍ አይሁድ** i. e. historiam Judaeorum quae, e lingua Arabica in Aethiopicam versa, res Judaeorum inde a Cyri regno usque in Hierosolymorum eversionem Romanam comprehendit, perlegimus in codice Francofurtensi bene exarato (qui p. 1—269 libros V. T. historicos, Reg. Paral. Ezr. Tob. Judith Esth. continet) p. 272—382. Liber quem sub titulo *Chronici Axumitici* citavimus est codex XXVI bibliothecae Bodleianae, quo 1) f. 1—88 Kebra-Nagast, liber celeberrimus, in laudem et gloriam Axumae metropolis et regiae Abyssinorum stirpis sub finem medi aevi confictus, Aethiopice bene et eleganter conscriptus, 2) f. 89—105 varia documenta ad res Axumiticas et Aethiopicas pertinentia exhibentur (vid. de eo *Catalogum Cod. Mss. Aeth. Bibl. Bodl.* p. 68—73). Hujus codicis partem plurimam descriptam habemus. — Caeteros *libros historicos bibliothecae Bodleianae*, a J. Bruce allatos, in quibus res Aethiopicae describuntur, sc. Cod. XXVIII—XXXII (vid. *Catal.* p. 74—82), quondam Oxonii peregrinantes obiter perlustravimus, et particulas quasdam (maxime ad res antiquiores pertinentes) descripsimus, nec non varia vocabula memorabilia in schedis nostris notavimus. Quorum excerptorum etiam in lexico nostro usum fecimus; eos denuo et diligentius perlegissemus, si eos assequendi ulla nobis fuisset facultas. Caeterum in dictione eorum quibus res Aethiopicae descriptae sunt librorum multa sunt Amharica immixta, quare Abyssini ipsi linguam horum librorum, nempe **ላሳ ጋራክ** seu linguam Chroniconum, a lingua vere Aethiopica distinguere solent. Codices Bruciani Bodleianae bibliothecae magis ad Aethiopicum vergunt, Ruppelliani magis Amharici quam Aethiopici sunt. Ex unico codice Francofurtensi illo, quem E. Ruppell *Reise* II. p. 336) große *ጭጥብ* beš Lik Atkum (rectius Liq Atqu) nominavit, nonnulla, sed pauca tantum in libro nostro receperimus.

l) Ad *vitas Sanctorum* referuntur Synaxaria et multi libri libellique qui Gadel vocantur, nec non libri Maccabaeorum ficticii. *Synaxariorum* (de quibus vid. *Catalogum Cod. Aeth. Bibl. Bodl.* p. 36—68) volumina duo, quae in bibliotheca Tubingensi exstant, membranacea sedulo perlustravimus et excerptimus. Versa sunt ex Arabico opere, saeculo XIII^o in Aegypto composito, sed ab Aethiopicis saeculorum sequentium retractata et aucta. Dictio quamquam Arabismum redolet bene Aethiopica est. Actis Sanctorum ad singulos singulorum mensium dies strophae quaedam

poëticae additae sunt, quae non omnes sed plurimae cum strophis illius libelli, quem Ludolfus *Encomium coelestium et terrestrium* nominavit (nunc asservatur in Bibl. Bodl., vid. Catal. p. 36) et in lexico crebro allegavit, consentiunt sed multas praebent lectiones variantes. Exemplaris Tubingensis partes aliae diligentius, aliae negligentius exaratatae sunt. — E magno libro- rum qui *Gadela* Adam in Cod. Tubingensi (de quo vid. nostram versionem et commentationem in H. Ewald *Zahrbuch* ver. biblisch. W. B. J. V. 1853 p. 1—144), -et G. Abba Karazun in Cod. Abbadiano CLXXIV, deinde nostra excerpta e Codd. Mus. Brit. XLV—XLVIII, sc. e G. Tacla Haimanot et G. Tacla Zion (XLV), G. Za Michael Aragawi (XLVI), G. Abba Johanni (XLVII), G. Gabra Manfas Qedás (XLVIII), denique excerpta e codice Gadela Lalibela qui quondam in Bibl. Societ. Ind. Orient. asservabatur: ex hoc varia vocabula architectonica hausimus. — Eiusdem farinae est liber *Maccabaeorum* (in plures sectiones divisus) ficticius, quem loco genuinorum librorum Maccabaeorum codicibus Bibliorum appingere solent. In eo exponitur martyrium trium Iudaeorum qui sub rege quodam **ጸፋጸዩዓን**: (i. e. Tyro et Sidone) passi perhibentur: variae ibi de immortalitate animae et resurrectione mortuorum nec non de historia Israelitarum biblica expositiones et paraeneses continentur. Verae Maccabaeorum historiae ne vestigia quidem in eo reperiuntur. Legimus codicem Abbadianum LV.

m) Inter *opera poëtica* eminent hymni ecclesiastici qui in libris *Mavás'et* et *Degwá* dictis continentur et tam antiquioribus quam melioribus scriptis annumerandi sunt: de iis vid. Catalogum Cod. Aeth. Mus. Brit. p. 32—38. Antiphonarium quod *Mavás'et* dicitur totum perlegimus in Cod. Tubingensi; thesauri *Degwá* dicti exemplar nobis deerat, sed excerpta et singularum partium apographa habemus e praestantissimo codice, qui in bibliotheca Societatis Brit. ad Biblia evulganda institutae asservatur: ex iis quidquid in lexico allegatum est hausimus. — De strophis Synaxariorum poësticis, quas cum Ludolfo *Encomia* nominavimus, vid. supra sub litera l. — Ex aliis carminibus quorum multa habent, pauca quaedam eaque praestantiora delegimus, sc. 1) preces ad Deum quae ab **አአግዚአብሔር፣ ጠባብ፣ ጠባዓን**: incipiunt et *Tabiba Tabidán* appellantur, 102 stropharum (collatas e Cod. Bodl. XVIII, Mus. Brit. LVI et LVII); 2) preces quae a **ስብሐት፣ ለክ፣ ማህረ፣ ምስካር፣ ማህረ፣ ምስካር**: incipiunt, *Máchbara Me'maná* vocamus, 21 stropharum, e Cod. Bodl. XVIII et Mus. Brit. LVII collatum; deinde quaedam poemata quae nos *Salám* nominavimus, Abyssini autem **መልክክ**: i. e. imagines vocant, quia in singulis eorum strophis singula Sanctorum membra laudantur, sc. 4) *Salám* ad 318 Patres Nicaeae congregatos dictum, 16 stropharum, e Cod. Bodl. XVIII; 5) *Salám* ad Mariam I, 43 stropharum, collatum e Cod. Bodl. XVIII f. 47—62 et Cod. Mus. Brit. LVII; 6) *Salám* ad Mariam II (quod non **መልክክ**: est), 7 stropharum, e Cod. Bodl. XVIII f. 62. 63; 7) *Salám* ad Mariam III, 58 stropharum, e Cod. Mus. Brit. LXX; praeterea 8) hymnos qui in Cod. Mus. Brit. LIII f. 52—63 continentur.

n) His omnibus accedunt quidam *libelli alii*, qui quamquam non multa tamen aliquot vocabula lexico nostro contulerunt: 1) fragmentum *Apocalypseos Mariae* de rebus futuris quae a

Joanne Apostolo scripta perhibetur, e Cod. Mus. Brit. XLVII; 2) *Visio Baruch* ficticia, in Abyssinia conscripta, e Cod. Mus. Brit. XIX; 3) **ፍክራ፣ ኢየሱስ፣ (Fekäre Iasus)** i. e. Expositio Jesu de rebus futuris, saeculo XV conscripta, e Cod. Mus. Brit. XVIII; 4) **ጥበብ፣ ሳቤላ፣ Sapientia Sibyllae** ficticia, e Cod. Mus. Brit. V; 5) **ውዳሴ፣ ማርያም፣ Laudes Mariae** in septem hebdomadis dies e Cod. Mus. Brit. III; 6) **መጽሐፈ፣ ኑዛክ፣ Formula confessionis** peccatorum, libellus amharicans, e Cod. Mus. Brit. LVII. — Praeterea e variis Musei Britannici et Bibliothecae Bodleianae codicibus quos quondam in Catalogis nostris descripsimus singula vocabula allegavimus. — Libris prelo impressis qui enumerati sunt adde Ludolfi Historiam Aethiopicam et Commentarium, Theodori Petraei proverbialia Aethiopiae Jonae prophetae 1660 edito subjuncta, Ant. d'Abbadie Catalogue de Manuscrits éthiopiens Par. 1859.

o) De Vocabulariis Aethiopico-Amharicis infra plura dicemus.

Ex hoc scriptorum quae perquisivimus conspectu plurimos eorum quibus Ludolfus utebatur librorum a nobis denuo per- vestigatos et excerptos esse elucet. At nonnulli Ludolfo erant fontes, ad quos nobis nullus erat aditus, nempe 1) Liber My- steriorum coeli et terrae, 2) Manuscriptum Colbertinum, 3) Homiliae et Vitae Sanctorum qui in Codice Bibliothecae Berolinensis inveniuntur. Alios habebat quos ab ipso diligenter excerptos denuo perlustrare non operae pretium esse censebamus, Organon Mariae, Ssalóta Reqét (at vid. supra sub litera a de libro), Homilia Chrysostomi de Nativitate Christi Lugd. Bat. 1660 a Th. Petraeo editam. Ex utroque librorum genere quaecumque Ludolfus in suo lexico protulit, nec non quae auctoritate Gregorii Aethiops proposuit, ea omnia in nostro opere iterum exscripsimus.

2. Exponitur quibus auxiliis in definiendis vocabu- lorum significationibus usi simus.

Lexicographi est non tantum vocabula colligere sed etiam eorum significationes recte definire. Qua in re via complanata est a Ludolfo. Plurimorum enim eorum quae communi usu detrita sunt verborum potestatem ab eo recte constitutam esse nemo infitabitur. Tamen multa restabant facienda. Primum enim verborum pronominalium et vocularum illarum quas particulas, conjunctiones, praepositiones, interjectiones dicunt expositionem Ludolfus vix delibavit. At magni momenti sunt hae voces et linguae pars haud contemptenda, nec quisquam suo munere rite functus existimabitur qui uberiorem et accuratorem earum descriptionem omiserit. Deinde magnus est verborum numerus quae Ludolfo cum incognita essent exponi non poterant. Denique etiam eorum quae novit verborum haud ita pauca sive falso sive minus recte interpretatus est 1), quia auctoritate non satis fida nitebatur vel quia loci probantes quas inspicere licebat ambigui et obscuri erant; in aliis interpretandis ipse cum auctore suo haesitavit; aliorum significationes recte quidem invenit sed non omnes; etiam formarum quarundam vim (ut stirpis verbalis IV, 1. 2) non semper assecutus est. Multa igitur novanda et emendanda erant, omnia autem retractanda.

1) Exemplis sint **ሀርበደ፣ ለሀዩ፣ ለመጸ፣ ሐብቀቀ፣ ሢረ-ክ፣ ሠ ጠዩ፣ ተማል፣ ሲሕ፣ ቀሠ፣ ጉዩ፣ ቁጠ፣ ጥ፣ ሰረረ፣ ተረዩ፣ ድኅክ፣ ላ.**

1) Quo in negotio perficiendo maxime nobis auxilio erant ii libri qui non Aethiopice tantum sed etiam in alia lingua, potissimum qui Graece adhuc exstant. Permultos enim Aethiopum libros eorumque in lexico excerptissimos plurimos ex aliis linguis in Geez versos esse et conspectu quem supra dedimus apparet. Hi omnes si cum libris ipsis unde versi sunt comparari potuissent, nemo non videt quantum utilitatis inde redundasset. Sed aliter se res habet. Nam licet multi sint libri Aethiopici ex Arabica vel alia orientali lingua translati, tamen ne unius quidem exemplar Arabicum vel in alia lingua orientali conscriptum assequi potuimus. Nulla enim typis edita sunt; alia exstant quidem manuscripta in variis Europae bibliothecis (ex. gr. Arabice: Synaxaria, Haimānata-Abau, Fetha Nagast, Chrysostomus, Didascalia) sed a nobis inspicere non poterant; alia autem deperdita vel nondum in Europam transportata sunt; denique ubi exemplar Hebraicum (Pseudojosephi) vel Latinum (versionis Canonum Nicenorum ex arabica lingua ab Abraham Echellensi factae in Mansi II p. 981 seq.) vel Syriacum (quarundam Gadelae Adam et Clementis particularum in Journal Asiaticque V^e série, t. II p. 439 seq.) consuli poterat, parum cum versione Aethiopica consentiebat. At qui e libris Graecis versi sunt, eorum exemplaria Graeca et conservata et typis edita sunt, non omnium quidem sed plurimorum: biblicos dicimus exceptis pseudepigraphis et Cyrilli partem maximam; accedit Chrysostomus qui quamquam ex Arabico versus tamen mirum quantum cum Graeco concordet. Aliorum fragmenta quidem sive Graeca sive Latina supersunt, ut Henochi, Hermae, Jubilaeorum (in libro: Monumenta sacra et profana e codic. Bibl. Ambrosianae t. I, fasc. I ed. Ceriani, Mediol. 1861. 4^o), Regularum Pachomii; aliorum versio Latina (e Graeco facta) tota exstat, sc. Hermae et IV Ezrae. Eodem referenda est Bibliorum Aethiopicorum recensio novissima ea, quae e libris Hebraeis facta est. Horum igitur librorum versionem Aethiopicam cum editionibus Graecis (vel Latinis et Hebraeis) conferre licebat. Quod commodissime cecidit. Illi enim libri (exc. Chrysostomo) ut antiquissima literarum Aethiopicarum monumenta ita ea sunt, quae vocabulis raro obviis vel obsoletis et obscuris maxime abundant et locos intellectu difficillimos continent. Neque eorum locos tantum obscuriores, illa comparatione instituta, illustrare licet, sed etiam in earum quae per se minime obscurae sunt vocum et phrasium significationibus accuratius definiendis et in synonymis recte distinguendis multum adjuvatur qui quid Aethiops exprimeret voluerit ex ipso libro Graeco (vel Latino et Hebraeo) eruere potest. Quam ob rem nostrum esse censebamus ut omnes illos libros accurate cum eorum fontibus compararem.

Tamen ne hoc quidem auxilium omnibus definiendis sufficit nec sine cautione quadam adhibendum est. Quamquam enim Aethiops librorum interpretes linguae Graecae peritissimos, multo peritiores sane quam expectaverimus, se praebent, tamen inveniuntur loci in quibus verba Graeca non satis intellexerunt neque recte reddiderunt. Accedit quod in interpretandis libris modo fidem verborum pressius secuti sunt, modo sensum magis quam verba exprimenda sibi proposuerunt. Praeterea fieri potuit nec raro factum est, ut aut loci quidam Graeci in nostris editionibus aliter legerentur atque ab Aethiops lecti sunt, aut in ipsa versione Aethiopica lectio genuina posthac depravaretur vel alii cederet. Quae omnia circumspectanda sunt si quis hoc auxilio uti voluerit.

Itaque nobis quidem non satis fidum videbatur, iis vocibus Aethiopicis quae in uno tantum loco occurrunt eandem quam vox Graeca ei respondens habet potestatem attribuere, ni eandem ei infuisse aliis quoque iudicis (ut etymo¹) vel traditione²) Aethiopicum) firmat³). At ubicumque eandem vocem Graecam in libris variis vel qui a variis interpretibus versi sunt eadem voce Aethiopica redditam reperimus, de vera ejus significatione non erat quod dubitarem⁴).

2) Auxilium alius generis a philologicis et exegeticis Abyssinorum ipsorum traditionibus petitur. Geez enim dum viva erat lingua, litteratorum institutionibus ad eam addiscendam vix opus erat; sed postquam populus linguam dediscere et Amharice loqui coepit, studia quaedam philologica non poterant non emergere. Et cum Geez, etiam per ea quae sequebantur tempora, linguae sacrae et literariae dignitatem obtinere non desineret, exstiterunt litteratores qui eam in scholis docebant librorumque interpretes se profitebantur. Quae studia quamvis labentibus saeculis magis magisque decreverunt, tamen viri hujus generis, መምህራን: i. e. doctores dicti, etiam nunc in Abyssinia reperiuntur, et antiquae linguae scientia quantulumque usque ad nostram aetatem per eos conservata est. His litteratorum vel doctorum studii ut grammaticae initia debentur, ita constans quaedam librorum interpretandorum ratio formata est quae, primitus institutionibus scholasticis per doctentium et discentium successiones tradita, posthac etiam literis consignata est. Neque tamen moris erat versiones librorum Aethiopicorum in linguis vel dialectis vernaculis conscribere⁵), sed locorum tantum difficiliorum vel verborum obsoletorum interpretamenta marginibus eorum in quibus occurrunt librorum adscribere vel talium interpretamentorum compendia brevia singulis libris praefigere vel subjungere. Permulti libri manuscripti, maxime biblici, ejusmodi glossis vel glossarium compendii instructi sunt. Etiam nomina peregrinorum sive propriorum sive appellativorum interpretatio ab illis litteratoribus tentata est. Denique postquam inscitia sacrae linguae magis crevit, in usum discipulorum alia quoque vocabularia, ስዋሰው: dicta, composita sunt, in quibus etiam vulgaria et tritissima vocabula Amharice exponuntur. In his igitur glossis vel glossariis et vocabulariis domesticam Abyssinorum traditionem de significationibus verborum Aethiopicorum contineri jure dixeris. Eamque satis constantem fuisse, e consensu variorum qui nunc existunt hujus generis libellorum conijcere licet: etiam quae Gregorius Aethiops de interpretatione verborum difficiliorum duobus abhinc saeculis Ludolfo communicavit, fere omnia cum iis quae nos in vocabulariis legimus concordant. Ubi vero de vocabulorum expositione variae doctorum opiniones obtinebant, hujus generis variationes etiam in vocabulariis annotatae esse solent, ut: መስተሀብባን:ዘ: (i. e. ዘውአተ: vel ዘበላላ) ጸረ-ፍጥን: ወበዘ: (i. e. ወደ: ዘይ-ባሉ-) ተጸኣዳን: , vel ስንበልተ: ዘ: መስኝ: ስንቡላላ: ደ: (i. e. ደ

1) ut II ስቄረ: , መእን: , ረሥሐ: al.

2) ut አስተማወጸ: , ተወውገ: al.

3) Exemplis sunt ስጉድ: , ምማኑ: , II ሜሰ: , መገውጸ: , ተቀብዩ: , ቁጽላዕ: , II ብሕባሐ: al.

4) Exempla habes sub መኩዩ: , አስባብ: , ትዕረር: , II ዐቀብ:

5) quae in bibliotheca Abbadiana exstant librorum interpretationes Amharicae (ut Cod. CLIV. CLVI. CLVII) novissimae aetatis esse videntur.

ብሉ፤), vel ፍብሊስ፡ብእዛ፡ብ፡ (i. e. ብሂሉ፡) ታጥሉ፡ብእዛ፡
ጸፍጽልሂ፡ደ፡ (i. e. ደብሉ፡). De his vocabulariis consulere
licet Ludolfi Hist. I, 15, 34. IV, 2, 3; Comm. p. 34. 209. 556,
et descriptionem eorum uberioiorem in Catalogo Cod. Aeth. Mus.
Brit. p. 58—60. Exemplaria quibus nos uti sumus sunt Cod.
Mus. Brit. LXX et LXXII secundum nostra apographa, et Cod.
Tubingensis (de quo vid. Zeitſchrift der beutſchen morgenlänbischen
Geſellſchaft I. S. 41 ff.); alia in aliis bibliothecis exstant, sed
plura comparare operis pretium non fore censebamus. Praeterea
glossaria quaedam variis libris biblicis et Cyrilli operi (de quo
vid. supra c. VII) annexa nec non glossas quasdam in margine
librorum adscriptas in nostram rem convertimus. Denique An-
tonius d'Abbadie in sua bibliotheca habet libellum Cod. CCXXVIII,
in quo radices linguae Aethiopiae secundum ordinem literarum
in quas exeunt (a literatore quodam Gondariensi) contextae con-
tinentur; ex eo excerpta quaedam benignissime nobis communi-
cavit. Sed multae harum radicum videntur spuriae et e nomi-
nibus, etiam peregrinis, nonnumquam rudissime petitae (ut ሰር
አመ፡ i. e. ለምጽ፡አወጸ፡ de qua vid. nostrum lexicon c. 1402
sub ሱወሪም፡).

Haec igitur monumenta quamquam diligenter consulere con-
suevimus, tamen adjuncta quae inde petivimus nec ita multa
nec magna erant. Nam expositiones verborum usu detritorum
quas exhibent nimis vagae et mancae sunt, nec ad significatos
accurate definiendos sufficient. De nominibus peregrinis (ut va-
sorum, ponderum, mensurarum, instrumentorum, animalium,
plantarum) hallucinationes magis et conjecturas quam veras de-
finitiones venditare solent. Nec nisi in expediendis verbis no-
minibusve rarioribus et obscurioribus aliquantum utilitatis ex
iis percipere licuit. Quamquam ea quoque arctioribus circum-
scripta est finibus. Tantum enim adest, ut omnes glossae a li-
teratoribus propositae et genuina linguae scientia antiquitus tra-
dita haustae sint, ut earum plures nonnisi conjecturis exegeticis,
tam veris quam falsis, nitantur (vid. ex. gr. ተፈዩ፡). Accedit
quod etiam multa vocabula Amharica quibus Aethiopiae expo-
nuntur nobis quidem obscura sunt nec prius intelligi possunt,
quam lexicon Amharicum, Ludolfiano et Isenbergiano multo magis
completum, editum fuerit.

At alia quoque est ratio, quia illis monumentis in lexico
elaborando adjuti sumus. Plura enim in iis recensentur voca-
bula quae in libris quorum perulstrandorum facultatem habuimus
non reperiuntur: eorum quaedam licet lectionibus corruptis ori-
ginem traxerint, tamen reliqua in aliis libris vere occurrere satis
probabile est. Quare ea in lexico recipere non dubitavimus, sed
cum testimoniis non probata sint, eorum plurima sub calcem
lexici in Appendice I recensere maluimus. Praeterea variis in
locis ubi fides nostrorum codicum addubitanda videbatur, glossaria
cum eandem vocabuli lectionem praebent nobis subsidio venerunt.

3) Auxilium autem multo magis fructuosum et fidum ex
ipso librorum studio petivimus. Quidquid in describendis variis
singularum verborum significationibus earumque tenuioribus dis-
criminibus profecimus, potissimum sensu librorum subtiliter in-
vestigato et usu loquendi qui cuius auctori proprius est dili-
genter observato effectum est. Etenim si quis linguae et gram-
maticae scientia et artis exegeticae peritia satis imbutus libros
accurate perlegerit, non erit dubium, quin ei etiam illae phrases
et verborum formae vel significationes quae in lexicis non-

dum notatae sunt longe plurimae per se perspicuae pateant,
etiamsi versiones librorum vel exemplaria e quibus versi sunt
consuli nequeunt. Quae cum in aliis quoque linguis et literis
pariter se habeant, uberius exponere nihil opus est. Sunt qui-
dem in quovis libro manuscripto, ni accuratissime exaratus sit,
loci obscuriores vel plane non intelligendi, quia lectiones de-
pravatae sunt, sed eos, nisi ex aliis libris emendari potuerint,
missos facere nihil interest. Sunt quoque vocabula obscuriora
vel verba technica quae quid sibi velint non ulro apparet, sed
quae in alio libro minus liquent, in alio illustrata inveniuntur,
et dummodo caetera auxilia quae laudavimus et laudabimus cie-
antur, pauca sane inexplanata relinquantur. Libri autem ex
Arabico sermone translati vel ad linguam Amharicam vergentes
ut bene intelligantur, etiam istarum linguarum scientiam quan-
dam requiri nemo non videt.

4) Ad illustranda nomina animalium plantarum utensilium
et vocabula quaedam technica (ut musicae) etiam itineraria pe-
regrinatorum et varios Europaeorum libros in quibus singula
describuntur vel exponuntur (ut Renaudot opus de liturgiis ori-
entalibus, Scaliger opus de emendatione temporum, Description
de l'Egypte al.) consulebamus.

5) His auxiliis quae enarravimus aliud denique accedat ne-
cesse est, sc. etymorum investigatio. Sed de hac singulatim
disserendum est.

3. *Disseritur de etymorum investigatione et aliarum linguarum comparatione.*

1) Etymorum scrutationem et aliarum linguarum compara-
tionem ut ne intactas praetermitteremus, variae nos monebant
rationes. Primum enim ad ipsa vocabula rite digerenda neces-
sariae sunt. In lexicis linguarum Semiticarum quae vocabulorum
litteris vel syllabis praefixis formarum copia ingente abundant
singula vocabula secundum ordinem radicum et literarum radi-
calium digerenda esse inter omnes constat, nec nisi qui inscitiae
et inertiae tironum magis quam laudi disciplinae consulunt lau-
dabilem illum morem, fere omnibus probatum, etiamnum negli-
gunt. Radices autem ad quas singula vocabula referenda sunt
quamquam plerumque e legibus formationis grammaticis ulro
patent, tamen nonnumquam accidit, ut cognitio difficiliore sint
nec sine exploratione etymorum inveniri possint¹⁾. Deinde etiam
significationibus verborum definiendis etymorum scientia aliarum-
que linguarum comparatio sive utilissima sive necessaria est.
Sunt enim verba quae varias pluresve habeant significationes;
earum quae sit prima, quae derivatae, nonnumquam ei tantum
disceptare licet, qui etymon perspexerit²⁾; sunt alia quorum po-
testas nisi etymo respectu accuratius constitui non potest³⁾, et
nobis quidem multorum verborum in uno duobusve tantum locis
obviorum significatus non indubius nec satis confirmatus esse

1) ut ታዕከ፡እስከ፡ት፡አስከ፡ት፡አራራይ፡ዐንፀወ፡ድቡት፡
ድድ፡ግብት፡ al.

2) ex gr. መስከግ፡አብድ፡ተዐገለ፡ተዐገሠ፡ገልዕ፡አገመረ፡
ጸንሐ፡ጸንዐ፡ፈቀድ፡ፈጸመ፡ al.

3) ut ሀርቦድ፡ሐብቀቀ፡ሥጥዩት፡ቀሠ፡ደይ፡ግገፈር፡ዘር
ዘረ፡ግእዝ፡ግን፡ዐንፀዕ፡ al.

maxime ገ¹⁾ respondent. Literae **የ** cum **ገ** vel **ከ** permutatae praeter **ደከተመ፡ገሠደ** : nulls habemus exempla. Inter *dentales* Aethiopes multo crebrius fortissima **ጠ** pro **ደ** et **ተ**²⁾, quam **ደ** pro **ተ** et **ጠ**³⁾ et **ተ** pro **ጠ**⁴⁾ utuntur. *Sibilantium* aliarum cum aliis permutatarum exempla multa sunt⁵⁾; etiam dentalium et sibilantium commutationes satis notae sunt⁶⁾. *Labiolum* transitus aliarum in alias permultis probantur exemplis, non tantum **ባ** et **ወ**⁷⁾, **ባ** et **ፈ**⁸⁾, sed etiam **ወ** et **ፈ**⁹⁾, **ወ** et **መ**¹⁰⁾, **መ** et **ባ** et **ፈ**¹¹⁾. *Nasalis* **ነ** ut labialibus affinis est ita nasali **ነ**¹²⁾; nasalis **ነ** autem cum liquida **ለ** haud ita raro permutatur¹³⁾ nec non cum **ረ**¹⁴⁾, quae literae **ለ** vicina est. *Liquidarum* **ረ** et **ለ** alius in aliam transitus facillimus est¹⁵⁾; de **ረ** et gutturalibus vide supra c. XVIII; etiam cum sibilantibus¹⁶⁾ permutatur **ረ**; raro **ለ** e **ደ** mutata est¹⁷⁾.

Aliae differentiae in ipsa *radicium formatione* continentur, prout sive e radicibus Semitarum primitivis novae radices variis in linguis varie excultae, sive radices secundariae ipsae, quae hereditate acceperant, ab Aethiopibus transformatae sunt. Qua de re hic

quaedam annotare juvat; alia in gramm. § 66—73 exposita sunt. Gesz lingua nonnumquam radices mediae geminatae (contractas) habet, ubi in caeteris linguis concavae vel triliterae formatae sunt¹⁾, et vice versa pro contractis caeterarum sive concavas²⁾ sive radices tertiae **የ** et **ወ**³⁾, et exhibet radices tertiae **ወ** et **የ**, ubi in aliis radices concavae⁴⁾ vel primae **ወየ**⁵⁾ interveniuntur, rarius concavas pro radicibus tertiae **ወየ**⁶⁾ vel pro variis aliis reliquarum linguarum⁷⁾. Novas radices habet formatas sive praefixa **አ** vel **ዐ**⁸⁾, vel **ወ**⁹⁾, vel **ነ**¹⁰⁾, vel **መ**¹¹⁾, vel **ተ**¹²⁾, quae passim in **ደ** abit¹³⁾, vel **ሰ**¹⁴⁾, quae passim in **ደ** mutatur¹⁵⁾, sive inserta gutturali¹⁶⁾, vel semivocali in gutturalem transmutata¹⁷⁾, sive affixa **የ** et **ወ**¹⁸⁾, vel **አ** et **ዐ**¹⁹⁾ vel **ተ**²⁰⁾ vel **ነ**²¹⁾ vel **ሰ**²²⁾, vel **ቀ**²³⁾. Inseruntur etiam in formandis radicibus vel nominibus pluriliteris literae **ረ**²⁴⁾, **ተ**²⁵⁾, plerumque **ነ**²⁶⁾. De reliqua quadriliterarum formatione vid. gramm. § 71—73.

Denique permulta verba novas induerunt formas *transpositis*

- 1) ዘንጉጐ፡ገመን፡ጊዩ፡ገዝአ፡ጌመ፡ጌሰ፡
- 2) ሠጠቀ፡ከከጠ፡ሰጠ፡ሰፈጠ፡ወለጠ፡ወጠነ፡ዐበጠ፡ጠቀለ፡ጠቀመ፡ጠቀበ፡ጠቀዐ፡ጠቀቀ፡ጠንቀቀ፡ጠየቀ፡ፈጠን፡
- 3) ሐዳፍ፡መዐደ፡ውኅደ፡
- 4) ቀተለ፡ቀተረ፡ከሠተ፡
- 5) vid. de **ዘ** et **ሰ** ش ث س ሰበረ፡ et ዘበረ፡ ሐዘበ፡ et ሐሰበ፡ በዘተ፡ ዘርቅ፡ መዝርዕ፡ ዘብድ፡ ዘንግዐ፡ ዘፈር፡ ገዝፈ፡; de **ዘ** et **ደ** ከመደ፡ et ፀመደ፡ ዘረበ፡ et ጸረበ፡ ቤዝ፡ሕምዝ፡; de **ሰ** ሠ et ኃ ኃ ሰንጉጐ፡ ሳሕስሐ፡ ሰሰለ፡ ዐበበ፡ ዐጽቅ፡; de **ሰ** ሠ et ጸ ጸ ሰበበ፡ ሰፍበር፡ ሰፍሐ፡ et ጸፍሐ፡ ሠሐቀ፡ አስፈር፡ ሰፈው፡ ሰስበሰ፡ ዐፍስር፡ ፈሥሐ፡; de ጸፀ፡ et ኃ ኃ ጽሕም፡ ጸኒመ፡ ጸገበ፡ ፀሐሰ፡; de ጸዐ፡ et ዐዐ ፀመፀ፡ ፀኒ፡ ጽሀቀ፡ ጸረ፡ ጸኒው፡ ጸግበ፡ ፀቁን፡ ፀኃዕ፡ ፃውወ፡ ፃኒ፡ ጸልኦ፡ ጸጉር፡ al.
- 6) vid. ሰርሐ፡ ሰቁረ፡ ሰበረ፡ ቁጸረ፡ በፀው፡ ደምዐ፡ ጥንፍኦ፡ ጦቀ፡ (ጠረረ) ጸዐነ፡ ጽግነት፡ ፀሐሰ፡ ፀርፈ፡ al.
- 7) vid. ሆግዶ፡ ሀውለዩ፡ et ሀብለዩ፡ ሐወለ፡ et ሐበለ፡ መረብ፡ ሠወጠ፡ ብርዕ፡ ሞሀው፡ ሀውል፡ ወለጠ፡ ዋክዩ፡ ሠጠነ፡ ጸረ፡ ጸወተ፡ ፀወሰ፡ et ፀበሰ፡
- 8) vid. ኅፈጠ፡ በለጸ፡ et ፈለጸ፡ ነጠበ፡ et ነጠፈ፡ በዘተ፡ ወፈረ፡ (ዘለፈ፡)
- 9) ፈቀረ፡ ሐወጸ፡
- 10) መኃር፡ መዐደ፡ መዘን፡ (መንጠ፡ መርሐ) ወሰቀ፡ et መሰከ፡; ውኅደ፡ (ሐወዘ፡); adde Tigr. ወነ፡ et መነነ፡ ወንበር፡ et መንበር፡ al.
- 11) መሐለ፡ መሐዘ፡ መተረ፡ መከረ፡ ብሀለ፡ ብዕለ፡ ባልሐ፡ et መልኅ፡ በረረ፡ ብነት፡ አነመ፡ ዐተመ፡ ፈሐቀ፡ ፈኅረ፡; adde Tigr. ዘመን፡ et ዘበን፡ al.
- 12) መሰቀ፡ et ነሰቀ፡ ሐሚት፡ et ሐኔት፡ ዘመው፡ et ዘነዩ፡; ጽሕም፡ መፀው፡ al.
